

REVER. PATRI VIRO CLARISS.  
CELEBERRIMI ORDINIS S. AVGVSTINI  
CANONICO LATERANENSI  
THEODOSIO BVRLE PLACENTINO  
ABBATI MERITISS.

F. IO. FRANCISCVS NARDVS FAN.  
FRANCISCANVS CON. S. D.



COMMEMORAVI sepe ac sepius, ani-  
moq; reuolui (pater integerrime) eam benefi-  
ciorum magnitudinem, qua toties & Neap.  
& Romæ Placentia & Genuæ superiori an-  
no à te mihi communicata sunt: & huiusmo-  
di insistens contemplationi, te mecum paterno  
semper munere functum esse optime cognoui;  
cum aliquid à te nunquam fuerit prætermis-  
sum, quod honori meo  
ac dignitati conferre posset. Tu enim Neap. ea qua semper fuisti  
ampliss. auctoritate præditus, apud uiros optimates (& si rudis &  
imperitus existam) in sacro dicendi munere me ipsum mirificè com-  
mendasti, & singulari testimonio tuo cui semper absoluta fides  
adhibetur, me in eximiam eorundem opinionem collocare studuisti.  
Ob id Marius Carafa sanctæ mem. Neap. Ecclesiæ præsul, qui te  
virum admirabilem in præcipua habuit admiratione, pro eo quod  
ipsi de me semper amanter retulisti, onus grauißimum, habita tanti  
viri, ecclesiæ ac ciuitatis ratione, mihi deferre consueuerat. Si igi-  
tur ibi à viris splendidissimis aliquo honore fuerim complexus, id  
gratissima voluntate tibi acceptum reffero; neq; hic silentio præter-  
mittam sed cummulata fatebor oratione, te honoris mei patrem vigi-  
lantissimum, & conseruatorem extitisse; cum mihi tot insidiæ &  
indigna machinamenta, (à quibuscunq;) fuerant molita, qua om-